



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

stoli. Iudex & princeps debent cauere ne talia fiant. Quod si etiã bello impetitur ut maxime sint qui pro ueritate & causa iusta mori audent, tamen maior numerus defendi uult, debet princeps & quorum interest pro fratribus pugnare & animam ponere pro illis qui nondum possunt pro ueritate mori, aut qui Christiani non sunt. Hic etiam illi, qui alioqui mori parati sunt si ipsorum solorum causa ageretur, non solum possunt sed & iuuare debent. Officium hic fuerit charitatis non tui commodi. Imò etiam princeps non debet sustinere ut uis fiat mori paratis, nisi & ipse & illi sine incommodo aliorum pro gloria dei simul mori parati sint. Hic enim fratris personam tantũ uideres nõ iudicis. Hic nihil præscribendum esset, ubi iam spiritum docere certum est. Quæris an obediendũ sit principibus iniuste bellantibus? Respondeo, Iniustitiam deus nusquã probat &c.

Quando obsederis.

Hac lege consulit hominibus deus, qui hominum peccata per bella punit, ut maneat illic uictus ex arboribus, ubi homines bello premuntur.

ALLEGORIAM uides Matth. 3. &c.

CAPVT XXI.

HAec est lex expurgationis de homicidio. In populo suo deus non solum nõ uult scelera sed etiam ne scandala quidem. Nouit quidem deus cor tuum si bonus es, sed offenculo es fratri si fama mala fuerit. Vult ergo ut nos expurgemus de mala fama coram hominibus & deprecemur coram deo uerentes ne nostra temeritate aut negligentia hoc scandalum ortum sit, dum non satis caute egimus aut diximus aut omisimus coram fratribus adhuc infirmis. Hoc est quod Paulus ait Roma. 12. Proidentes bona non tantũ &c. Huc pertinet omnia quæ in Euangelio & alibi de scandalo legis. De scandalo, inquam, illorum qui curam fratris infirmi non habent ut maxime nihil dicant aut agant quod non possint defendere ex lege dei, præter hoc quod etiam deus mandauit unicuique de proximo. Ut hinc uideas agere contra legem, qui nihil minus putant per libertatem carnis quam ex Euangelio sibi somniant. Itaque uides hic quod ut maxime non occiderint tamen fama mala suboritur paulatim, quasi illic habitent mali homines ubi homines impune occiduntur, & illic sint homicidæ & non populus dei. Expurgatio ergo hic publica præscribitur & frequenti populo cum leuitis & senioribus ciuitatis illius celebrata & singulari ritu, ut uideant omnes quàm oderint

hoc factum illi ciues, tantū abesse ut fecerint aut uoluerint. Sed & ne corā deo quidem securos sese arbitrantur dū nihil sibi sunt conscij, imō occisa uitula siue iuuenca deprecantur suam culpā, q̄ talia illic facta sunt forte ipsis negligenter agentibus, Leuitis in uerbo dei & oratione, & senioribus in gladij iure & potestate cōmissa & diligenti uiarum custodia &c. Nam & lex addit, nisi ita fecerint reos esse sanguinis Et iuuenca occiditur dum nescitur homicida ut occidatur.

Aduerte homicidium esse male uelle fratri, hoc reaperitur in nobis reuelata lege, tamen quasi ignoratur autor mali, & manus non fecisse dicitur & oculus nō uidisse, quia in ignorātia peccauimus, ut dicitur Ro. 7. Ego autem peccatū nesciebam &c. Item, Omne peccatum quod alij faciunt tu facere potes si deus te dereliquerit, imō ad omnia peccata ex natura propensus es & omniū reus coram deo nisi te gratia liberet. Vnde addit lex. Alienus eris ab innocētis cruore qui effusus est cum feceris quod praecepit dominus. Hic iuuenca de armento separata, quae nunq̄ traxit iugum aut aratro seruiuit, ducitur ad terram non aratam aut seminatam, id est omnino incultā, & occiditur, ut uideas mortē Christi quae sanguine occisorū animalium tunc significabatur, in omnibus despectissimā & quasi nulli usui aptam, quae tamen sola dum super eam lauantur manus & oratur conciliat nos deo gratis. ad hanc ex

piationē nulla industria aut studia humana admittuntur, Sicut enim iugum non traxit uitula aut aratrum, ita & in terra non arata aut seminata studio humano humanoꝝ; semine, id est, doctrinis humanis hoc est in cordibus mortificatis occiditur, ut illic fiat expiatio &c. Itaq; hæc lex timorem dei docet, ne securi simus pharisaica iustitia dum manu malū facimus, simul & curam proximi nobis maxime cōmendat &c.

Si egressus.

Gentilis non admittebatur in numerū Israëlitarū ut computaretur in populo nisi circumcideretur & serualet cū alijs legis instituta. Hic dicebatur profelytus Matt. 23. Hæc autem lex (quia circumcisio ad foeminas non pertinebat) ex gentili foemina, quæ secundū legē immunda erat & ancilla, facit uxorem & liberā, non sine rasiōne crinium & præcisione unguium & abiectione uestium priorum, ut ipsa specie iam circumcisa iudicetur & ad circūcisionis populum pertinere, ut iam non immūda & ancilla, sed munda & libera imō & uxor habeatur postq̄ uno mense luxerit parentes suos, ut adamata possit & ipsa amare postq̄ deserbuit dolor amissæ domus paternæ.

Si autem.

Quæ per dei legem libera facta est, rursus per hominem non potest redigi in seruitutem, nisi ipsa se uendiderit, libello repudij à marito amisso, de quo libello in

fra dicemus cap. 24. ut uideas eam in omne ius Israëlitarum foeminarum uenisse. Sed quid est quod dicit. Humiliaſti eam? Quando accipitur uxor, quando dormitur cum ea, non dicitur humiliata quia tunc regnat & est in foeminarū summa, conditione tamen sub uiri potestate, humiliatio ergo ad repudium pertinet &c.

ALLEGORIA ex scriptura. Christus egressus contra diabolū, fortior contra fortem, Luca. 11. inuenit dilectam gentilitatem, quæ hæctenus immūda fuerat & ancilla, quam sibi uxorem cupiens spiritu dato præcidit quod ei acceuerat, id est, crines & ungues quod est peccatū ab Adam, & abstulit quod ipsa sibi addiderat peccando quæ sunt uestes, ut naturam quam creauerat serualet sibi, hæc est circumcisio spiritus supra cap. 10. Hæc est mundatio Christi per lauacrū aquæ & uerbi uitæ, ut exhibeat sibi gloriosam ecclesiam nō habentem maculam aut rugam &c. Ephe. 5. Luctus uero unius mensis est dolor mortificationis, dum nobis deserenda est conuersatio pristinae uitæ & resignandū patri & matri, id est, primæ natiuitati & illi quod nati sumus, ut Christus ait. Qui uult uenire post me, abneget semetipsum &c. Huic adamatæ dicitur i psal. 44. Audi filia &c. Hoc felix coniugium nihil separabit nisi fornicatio, quemadmodū Christus nullam aliam causam diuortij permittit. Coniunctio per fidem fit solam & separatio per solam infidelitatem, Tunc enim dis-

placitum & non erit uxor, quando ad gentilitatem per
infidelitatem relabitur. Heb. 11. Sine fide &c. Vnde &
in psal. Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. lege
Hier. 2. & 3.

Quidam hæc retulerunt ad gentiles literas & sa-
pientiam humanam, quam si tibi copulare uolueris,
necesse est ut præcidas quod Christianum non est. Be-
ne, sed si ita præcideris nihil manebit tibi reliqui, quan-
doquidem lex dei nihil probat nisi dei uerbum. Per-
mitto tamen ut ista similitudine utantur, modo non
ex Aristotele & philosophicis dictis Christianam no-
bis doctrinam faciant &c. Non conuenit luci cum tea-
nebris &c.

Si habuerit homo,

Primum, Plures lex permittebat uxores imò, & an-
te legem etiam sancti plures habebant uxores, nec ta-
men iudicabantur facere contra legem dei. Erunt
duo in carne una, nisi fornicarentur cum alijs & nisi
uxores abicerent, quam tamen abiectionem lex per-
misit licet non probauit, ut Christus indicat Matt. 19.
Demde qui primus filius nascebatur marito ex qua-
cunq; uxore, is erat primogenitus cui iure dei de-
bebatur duplex hereditas. Docet ergo hæc lex hu-
mano affectui non licere immutare quacunq; spe-
cie quod deus donauit. Non poterit ergo mihi pa-
pa auferre ius primogenituræ, quod habeo in pri-

mogenito Christo. Non enim est in hominis potestate ut primogenitus nascatur sed munus dei est, ergo neq; in hominis est potestate hoc ipsum auferre. Electioni itaq; hoīs hic ius adimitur ubi electionem dei regnare oportet.

Si genuerit.

Post deum nullū ita coli uoluit deus ipse ut parentes, itaq; de honore parentū in secūda tabula primū mandatum est, atq; hoc ipsum hac lege satis superq; declarat, quæ facit ex parētibus accusatores & iudices contra filium inobedientem. Sic & qui nō uult deum patrem per Christū, habebit eum iratū iudicem per eundem Christū, q; non obediuit uerbo euangelij. Esa. 1. filios enutriui &c. Mal. 1. filius honorat patrē suū &c.

Quando peccauerit.

Hæc lex obsequium funeris etiam damnato cadaueri exhibet. Item, hæc lex maledictū pronunciat pendentem in cruce, uult ergo ut maledictus sepeliatur eodem die, ne eius maledictione populus inficiatur & hæc abominatio diutius uideatur super terram. Vide ex hac lege quid Christo debeamus, qui factus est pro nobis maledictum ut nos fieremus benedictio, Gal. 3. factus est pro nobis peccatum ut nos fieremus iustitia. 2. Cor. 5. Pro nobis, inquā, nam ipse peccatū non fecit neq; inuentus est dolus in ore eius. Et hæc lex eum excipit dicēs, Quando peccauerit homo quod morte plenā est. sicut & alibi eum cū matre excipit, dicēs,

Mulier quæ suscepto semine peperit masculū &c.

CAPVT XXII.

Hæc leges charitatis, utilitatis & bonæ conuersationis à deo nobis præscriptæ, arguunt impietatem cordis nostri, quæ natura omnes ferimur ut contrarium & sentiamus & faciamus, Alioqui cur tulisset has leges deus si natura ad ista inclinaret? Non uidebis &c.

Charitas est ut cõmodum cures proximi tui. Quod si hæc deus mandat de asino &c. quanto magis curanda est proximi salus, ut auocetur ipse ab errore, quo argumento utitur Christus in euangelio. Cuius uestrum, inquit, asinus aut bos &c.

Non induetur. Heb. Mulier nõ utetur armis uiri nec uir induetur ueste muliebri. Sicut sexum non uult te mentiri alienū, ita hac lege quoq; damnat omnem hypocrisim qui se fingit quod non est. Item ne cõmutetur opera uiri & mulieris Ro. I. Item ne mulier doceat in ecclesia, quod est uiri. Itē ut uir sua potestate super mulierem utatur à deo & concessa & mandata. Item ut quisq; suam sequatur uocationem. Ita ut deus sexus discreuit in colore, incessu, moribus, ita hominibus in conuersatione publica exhibeantur &c. Nudam simplicemq; ueritatem uult deus & in uerbo & in opere.